



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XLV. Antiquos Patres nihilpro physica prädeterminatione nobis tradidisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

uinam sapientiam sine alia prædeterminatione efficaciter impleri. Unde ad Roman. 9. §. Quos & vocavit; Hos; (inquit,) quos vocavit, præparavit ad gloriam; siue eos, qui prope erant, siue eos qui longè, sciens permanuros in fide. Denique in lib. 4. in Lucæ 4. §. Et repleti sunt; de tudais cientesibus Christum ait. Nec mirum, si per dederunt salutem qui dederunt & suis sinibus salutem. Moraliter enim Dominus; & qui docuerat exemplo sui Apostolos suos, omnibus omnia fieri, nec volentes reputant; nec inuitos alligat, nec efficientibus reluctatur, nec rogantibus desistit. Certè non video cur Ambrosius moralem Dominum vocauerit, nisi quia morali modo, & liber s hominibus accommodato homines vocauit, ideoque sic homines inuitat, vt non alligat ad vnum, quod faceret prædeterminando; ille enim modus moralis non esset. Rectè ergo ad mentem Ambrosij dicere possumus Deum trahere homines per moralem gratiam quoad modum præuix inductionis, cooperando physice cum illis, si ipsi velint; nam hæc physica efficientia, etiam ad moralem effectum necessaria est.

Quartò addimus Hieronymum lib. 4. in Ieremiam 18. in principio exponens, quod ibi ait per Prophetam Deus, sepe prædici mala, vel bona, & non euenire, quia hominum voluntates immutantur, ait Hieronymus hoc dixisse Deum, vt liberum esset arbitrium, & subiungit, Et hoc dicimus, non quod ignoret Deus hoc, vel illud gentem, aut regnum esse futurum, sed quod dimittat homines voluntati suæ, vt vel præmia, vel penas suæ voluntate, & suo merito recipiant. Difficile profe & explicatur, quomodo Deus homines voluntati suæ dimittat, si in singulis actibus vel bonis, vel etiam malis ad vnum tantum, & ad exercitium eius illam determinat. Ne autem per verbum illud gratiam exclusisse videretur, subdit Hieronymus. Nescitum totum erit hominis, quod eueniet, sed eius gratia, cui cuncta largitus est; ita enim libertas arbitrii reseruanda est, vt in omnibus excellat gratiam largitoris. Scante igitur hac gratiæ excellentia, & necessitate, ita concilianda est cum libertate, vt ea non obstante voluntas suæ libertati committatur, non ita vt prædeterminetur. Similia ferè habet Ierem. 24. circa finem, & cap. 26. in principio.

Item Ista 49. in id. In vacuum laboravi sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi, dicens. Hac vnuerfa dicuntur, vt liberum hominis arbitrium monstraretur. Deum enim vocare est, & nostrum credere, nec statim si nos credimus, impossibilis Deus, sed potentiam suam nostro arbitrio dereliquit, vt iussu voluntas premium consequatur. Quid quæso est; Deum potentiam suam nostro arbitrio derelinquere, nisi actionem suam ita temperare, & arbitrio accommodare, vt indifferentiam eius non auferat, neque ad vnum prædeterminet. Quam moderationem, seu accommodationem influxus diuini ponit etiam Hieronymus in illis actionibus voluntatis, ad quas Deus specialiter per gratiam præmouet. Et similia habet epist. 150. ad Hedibiam. quæst. 10. vbi post vocationem gratiæ absolutam potestatem consensus; vel dissensus voluntati tribuit. Et ex eiusdem libera facultate, rationem reddit, cur ex eisdem vocatis quidam veniunt, alij obdurescunt. Quia non saluat, (inquit,) irrationabiliter, & absque iudicij veritate, sed causis præcedentibus, quia alij non susceperunt Dei filium, alij suscipere voluerunt. Quam rationem nolunt defensores prædeterminationis admittere. Hieronymus verò illam censet necessariam saltem in ipsa executione, quia discretionem per solam prædeterminationem rationabilem non censuit. Tandem in epist. 146. ad Damasum de filio prodigo verba illa, Dixisti illis substantiam, exponit, id est, dedit illis liberum arbitrium, dedit mentis propriam libertatem, & vt videret vnusquisque, non ex imperio Dei, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate. Vbi per imperium,

non legem, vt per se constat, sed motionem physicam intellexit Hieronymus, sicut dicere solemus, membra externa imperio voluntatis moueri, eamque per necessitatem experire, quia tale imperium necessitatem imponit, si omnino ad vnum determinat.

Denique merito pro hac parte allegare possumus Tertullianum lib. de anim. cap. 21. & libro 2. contra Marcion. cap. 5. & sequentibus, & Cyprian. epist. 55. ad Concilium, & alios, qui agentes de arbitrii libertate, semper dicunt ita subiici gratiæ, vel ita moueri diuinis inspirationibus, seu vocatione, vt electio, seu; (quod idem est) determinatio eius potestati relinquatur, quod certè cum præuia, & totali determinatione ad vnum per solam Dei voluntatem immixta intelligi non potest. Unde etiam dixit Tertullianus libro de exhort. ad castitatem, capite secundo non esse soli Dei voluntati tribuendum, quod ab hominis pendet voluntate: quem locum cum alijs supra libro 3. cap. 3. satis expendimus. Possuntque hic adduci testimonia Patrum, dicentium suppositionem antecedentem repugnare libertati, quos partim in Prolegom. 1. agentes de indifferentia necessaria ad vsum libertatis, partim in Prolegom. 2. tractando de præscientia Dei adduximus. Item possent huc afferri Patres docentes cum eisdem auxilijs præuenientibus posse homines conuertere, & non alium. Nam illud pronuntiatum non potest cum alio prædeterminante subsistere, vt defensores eius fatentur, & ideo illud impugnat. Sed de illo puncto proprium caput postea instituemus.

CAP V T XLV.

Antiquos Patres nihil pro physica prædeterminatione nobis tradidisse.

IN hoc capite ad ea respondebimus, quæ ex auctoritate eorundem Patrum aduersarij nobis obijciunt, simulque ab auctoritate negatiua eorundem Patrum argumentabimur. Nam certè verisimile non est, si tale genus auxilij efficacis necessarium est ad salutem, omnes hos antiquos Patres illud ignorasse, aut illud cognouerunt, tanto silentio illud præterisse: sed nulla mentio talis auxilij in his Patribus inuenitur, ergo vehemens coniectura est, vel nunquam dari, vel saltem non esse necessarium. Minorem non aliter probò, nisi quia neque in his, quæ in his Patribus legere potui, aliquid huiusmodi inueni, neque defensores alterius sententiæ, qui maiori fortasse diligentia illud quæserunt, id nobis allegant, quod breuiter ostendam discurrendo per ea quæ allegata inuenio.

Primò enim allegatur Dionysius cap. 4. de diuinis nominib. dicit Deum vocari amorem, quia generat, seu creat in nobis, & immittit amorem, & quia, ad illud pertinet quod moueat, & causet motionem in alijs. Sed hæc omnia loquendo in ordine gratiæ verissime dicuntur propter infusionem charitatis tam habitualis, quam actualis per excitantem, & adiutantem gratiam, neque aliud ex illis verbis colligit D. Thomas explicando illa in lect. 11. citatur etiam Dionysius in cap. 5. eiusdem libri, in vltima eius parte, vbi agit de diuinis exemplaribus, ac prædeterminationibus. Sed ille locus pertinet ad generalem prouidentiam, vel rerum creationem, vt alij volūt, & ideo illum sufficienter attingimus in lib. 3. cap. 3. Secundo allegatur Ephrem, varijs in locis. Primò in ferm. de vita relig. satis post medium, vbi comparat

23.
Allegatur
Tertullian.
&
Cyprian.

Respondetur ad obiecta.

Allegatur
Dionysius.

D. Thom.

II. Ephrem.

comparat gratiam speculo, & inter alia dicit, Absque gratia adminiculo, non praevaleret ei cor placere viribus suis, verum ut ipsi placeat, ab ea accipit. & intra, Homo sine gratia adiutorio pauper est, & bonorum inops: si vero ipsam gratiam promeruerit, poterit illius ope virtutes exercere, atque perficere. Haec autem, & similia quid pertinent ad gratiam praedeterminantem? Allegantur praeterea haec verba, Anima gratia, & eius adiutorio destituta, inefficax, & inutilis est. Sed illa verba nec formaliter inveniuntur in Ephrem, nec quidquam referrent; nam solum probant necessitatem gratiae, non efficaciam praedeterminationem. Est ergo illud testimonium egregium, ad commendandam gratiam, ad probandam autem, vel insinuandam physicam praedeterminationem, inutile omnino est. Imò si attentè legatur Ephrem, non minus commendat cooperationem, & liberam applicationem voluntatis, & nimium illi tribuere videretur, nisi ad fideles, & gratia praeventos loqueretur.

3.
Idē Ephrem

Deinde allegatur in ferm. 3. de Compunct. cord. solum, quia inter multiplices petitiones gratiae hanc interponit. Da mihi medicamentum efficax, quo plenissime ab oculis meis cures vulneribus. Sed quis non videat quam sit inefficax testimonium, nam ad litteram postulat contritionem, quae est medicamentum efficax peccatorum, ut licet postulare auxilium efficax, non ideo postulet praedeterminationem physicam, sed illam, quam ferm. 1. vocat dulcem protectionem, & illuminationem, & quam in opere diuin. grat. vocat eisdem anima, magistram inuincibilem, & gubernatricem anima. Quibus verbis, & similibus moralem modum operandi praeventis gratiae demonstrat. Et quia illa non praedeterminat voluntatem, admonet. Cum promptitudine igitur animi morem ipsi gerito, & cuncta tibi perspicua reddet. Denique allegatur idem Sanctus in confessione, seu precatione ad Deum, quae incipit, Sana me Domine, propter sequentia verba Quemadmodum terra, licet seminata nequit a se fouere germina, sine tua bonitatis visitatione, ita neque cor meum eloqui poterit beneplacita tibi beneficio gratiae tuae, nisi per ipsam fructificauerit iustitia fructuum. Ex quo inferunt ex mente huius Patris necessarium esse, non solum ut gratia fructificet, sed etiam ut faciat liberum arbitrium fructificare. Sed in primis Ephrem non dicit, an gratia faciat liberum arbitrii fructificare, necne, sed solum dicit, cor hominis non posse sine gratia fructificare. Deinde licet id verum sit, non sequitur quod gratia id faciat praedeterminando, sed moraliter inducendo, & cooperando simulque efficiendo. Denique quod in illo loco intenditur, & optimè probatur, est, necessarium esse, ut Deus incipiat seminare in anima per gratiam praeventientem, non tamen id satis esse ad ferendum fructum, nisi gratia etiam adiuvet, & saepius animam visitet, quod totum sine praedeterminatione physica fieri potest, & magis consentaneè ad naturam hominis liberam sit.

4.
III. Basiliius
Rom. 8.

Tertiò citatur Basiliius lib. de Spirit. sanct. cap. 8. ubi tractans illud Apostoli ad Roman. 8. In his omnibus superamus per eum, qui dixit nos, ait, Nequaquam hac voce humile quoddam ministerium indicat, sed auxilium potius, quod per imperium suae potentiae operatur in nobis, sicut & ipsum alligauit fortem, diripuitque vasa illius, videlicet nos quibus ad omnia mala opera fuerat abusus, fecitque vasa vtilia Domino, apparatus ad omne opus bonum, ob promptitudinem illius, quod erat in nobis. Sed his etiam verbis nullum vestigium physicae praedeterminationis inuenitur. Nam si illa colligatur ex verbo illo, per imperium potentiae suae, friuolum est, quia omne auxilium gratiae, siue sufficientis, siue efficax, operantur Deus in nobis per imperium potentiae suae. Si vero id sumatur ex verbo illo, fecitque vasa vtilia Domino, iam saepe dictum est, verbum faciendi generalius esse, & non limitari ad physicam praedeter-

minationem, quod magis significauit Basiliius in sequentibus verbis, nam dicit fuisse nos vasa Domini apparatus ad omne bonum ob promptitudinem, &c. Nam longe aliud est, voluntatem reddi aptam ad operandum, ab eo, quod est physice praedeterminari.

Apparentius possent ex Basilio citari verba, quae Petrus Diaconus de Incarnat. & grat. cap. 8. refert, in oratione sacri Altaris, quam, (ut ait,) pene vniuersus Oriens frequentat. Suntque huiusmodi. Dona Domine virtutem, ac tutamentum, malos, quos sumus, bonos facito, bonos in bonitate conserua, omnia enim potes, & non est quod contradicat tibi, cum enim volueris saluus, & nullus resistit voluntati tuae. quae verba formalia in operibus Basilii non inuenio, tamen in Missa haec habet aequivalentia. Deus omnis consolationis inclinans tibi sua capita iugiter, munus, confortat, ab omni opere malo discederis, in omni autem opere bono coadiuuat, & idoneos fac iudicabiliter accipere incontaminata, & vniuersa mysteria in reuersionem peccatorum, & Spiritus sancti communionem. Et prius pro Carthechumenis sic orat. Fac eos membra Ecclesiae, & idoneos fac lauacro regenerationis, & remissionem peccatorum, &c. Et infra pro ministris Altaris: Idoneos fac virtute tua sancti Spiritus in ministerio, ut instanter stantes in conspectu sanctae gloriae tuae offeramus tibi sacrificium laudis: tu es enim operans omnia in omnibus. Accedens ex prima oratione solum colligit Petrus Diacon. docuisse Basilium per illam precem non à seipso, sed à Deo malos homines fieri bonos, nec sua virtute, sed diuina gratia adiutorio in ipsa bonitate perseverare. Vtrumque autem sufficienter fit per excitantem, & adiuuantem gratiam sine praedeterminatione, idemque de ceteris orationibus dicimus. Simile quoque orationes inueniuntur in Missa Chrysostomi, & aequivalentibus nunc Romana Ecclesia vtitur.

Quartò allegatur Nazianzenus orat. 71. ubi tractans illud ad Roman. 9. Non est volentis, &c. ait. Ipsi etiam rectè velle diuino auxilio indiget, imò, ut rectè loquatur voluntas quoque ipsa, & electio eorum quae recta, & cum officio coniuncta sunt, diuinum quoddam beneficium est, & quod à Dei benignitate manans. Itaque quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo iure totum Deo assignamus. Sed mirum est Nazianzenum in illo loco asserti pro illa sententia, cum ibi exponat verbum Pauli, Non est volentis, &c. id est, non solum volentis hominis, sed etiam miserentis Dei. quam expositionem non probauit Augustinus, non quia falsam doctrinam contineat, sed quia non explicat primarias vices, quas Deus in opere gratiae habet etiam circa ipsam voluntatem. Alioqui tamen verum est, velle ita esse Dei, ut licet etiam nostrum iuxta regulam eiusdem Augustini lib. 1. de Retract. cap. 23. & alijs locis.

Nazianzenus ergo in illo loco non solum non docet necessitatem auxilij praedeterminantis, verum etiam nec de certo modo auxilij loquitur, sed solum dicit, voluntatem ad rectè volendum diuino auxilio indigere, & propterea rectam voluntatem diuinum esse beneficium, & à bonitate Dei manans, quod tam ratione auxilij adiuuantis, quam excitantis verum est. Quod verò ait totum esse assignandum Deo, ideo dixit, quia non tantum operari, sed etiam ipsum velle à Deo est, quamvis etiam sit nostrum, vel id dixit, quia principaliter est ex Deo. Nam cuius est quod est amplius, eius dicitur esse totum, ut alias dixit Chrysostomus homil. 12. ad Hebraeos. Vnde in oratione 1. quae est apologetica profuga sua, dixit idem Gregor. singularis, & eximiae Dei benignitatis argumentum esse facere, ut nostra quoque aliqua ex parte sit virtus, & animi propositio excolatur, arbitriique libertate parem in vtramque partem motum habente. Imò oratione 38. quae est in sanctam Natiuitatem, de primo homine dicit, ita fuisse arbitrii libertate donatum, ut bonum non minus illius esset, qui eligi quam eius, qui semina praebisset. Intelligendum autem est, non

non minus quoad absolutam vtriusque influxus necessitatem, non quoad perfectionis, seu efficaciam gradum.

Quintò refertur Cyrillus Alexandrinus libro 1. de Adoratione in Spiritu, pag. 15. ubi exponens verba illa Genes. 10. Cum verò manè factum esset, urgebant Angeli Loth, dicentes: Accipe uxorem tuam, & daas filias, quas habes, & exi. Ex illis sic colligit. Inducium autem tibi sit valde manifestum, dum non solis verbis nos stimulat, & adhortationibus menti immisit, ut discedamus à peccato, sed tantam etiam benignitatem nobis exhibet vniuersorum Saluator Deus, ut efficaci subsidio adiuues, secundum quod scriptum est: Apprehendisti manum dexteram meam, & in consilio tuo deduxisti me. Nam quoniam hominis natura non valde generosa est, neque satis idonea, ut malum effugere queat simul quodammodo nobiscum certat Deus, & duplici beneficium concedere videtur persuadens admonitionibus, ut subsidium inueniamus, & fortius illud præstans, quam ut malum præsumat, & violentum prævalere possit. Hæc enim sunt eius formalia verba quæ optimè confirmant necessitatem gratiæ excitantis: quid verò faciendum quod scriptum est: Apprehendisti manum dexteram meam, & in consilio tuo deduxisti me. Nam quod Cyrillus dicit dare nobis Deum auxilium, vel subsidium efficace, nemo nostrum negat, sed quale illud sit, inter nos controuertitur. Cyrillus autem ibi non tractat de auxilio necessario ob concursum primæ causæ, sed ob humanæ naturæ fragilitatem.

Vnde verisimile est solum loqui de efficacia in actu primo, id est, de illa qua reddimur potentiores tentatione ad vincendam illam. Hic enim est, vbi libi notamus, frequens modus loquendi Sanctorum, maxime quando loquuntur de auxilio abundantiori, quod dat Deus homini, quem vult potentiorē, seu valentiorē reddere, quam sit tentatio. Quod auxilium quantum ad consequendum effectum saepe est tantum sufficiens, quia homo illi cooperatur: nam de se solum est quoddam præueniens auxilium, quod per internas adhortationes, & admonitiones menti immittitur, ut Cyrillus explicat, adiuvans verò, ac simulaneum auxilium indicat, dum ait, Simul quodammodo nobiscum certat Deus. Quod autem neutrum eorum prædeterminet voluntatem, significat, cum subdit, nihilominus, paucos esse qui virtutem exerceant, sed qui talis est electus, & diuinam gratiam non per functione assequuntur. Vnde paulo superius exemplo vocationis Abraham ordinem gratiæ in nobis describit, dicens. Vbi vocati fuimus, & diuinis obediimus legibus, & ad propriam voluntatem, ac desiderium transferimus, quasi in terram omnibus bonis excellentiam tunc Deus sue cogitationis claritatem immittit. Vbi post vocationem non prædeterminationem, sed obedientiam requirit non sine coadiutore Deo, ut postea declarat. Et hæc sententia Cyrilli est optima ad intelligendum vera esse quæ supra de mente Chrysostomi dixi.

Sextò allegatur Athanasius super cap. 2. ad Ephes. in illa verba, Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, &c. eo quod ibi dicat Deum immutare voluntatem nostram, eiusque bona opera præparare, ac prædestinare. Hoc verò testimonium, neque auctoritatem habet, neque efficaciam. Dico non habere auctoritatem, quia illud opus non est Athanasij, ut omnes docti sentiunt, vnde inter eius probata opera non collocatur. Et quamvis soleat tribui Theodoro, aut Theophylacto, nihilominus illa verba in eorum commentariis super illum locum non inueniuntur, neque alia quæ ad rem præsentem aliquid faciunt. Addo verò etiam non habere efficaciam, quia longè diuersum sensum habet quod dicitur Deus immutare mentem nostram, & præparare, ac prædestinare bona opera eius. Ad verò Deus immutat voluntatem per auxilia excitantia, & adiuuantia, & preparando hæc auxilia quantum est ex se, præparat bona opera, vel efficaciter, vel

sufficienter, præparatione vtriusque æterna, ut dixit D. Thomas 1. parte, quæstione 23. artic. 2. ad 3. & eodem modo illa prædestinuit, de quo verbo plura in superioribus.

Septimò refertur Cyprianus libro 3. ad Quirin. cap. 4. ubi habet illam sententiam. In nullo gloriamur, quando nostrum nihil sit. Et in expositione orationis Domini circa illa verba, Fiat voluntas tua, quia licet his verbis nos postulare opem, & protectionem Dei, & in alijs non credentibus fiat voluntas Dei per contritionem ad fidem. At verò tractans hæc loca Augustinus lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 9. & lib. de prædestinat. Sanctorum cap. 3. ex illis solum colligit nihil boni, & pietatis posse ab homine fieri sine dono gratiæ Dei. Et orandum esse non solum pro fidelibus, ut boni fiant, sed etiam pro infidelibus, ut conuertantur, & ut libere conuertantur, non quidem ex sola sua libertate, sed ex auxilio, & vocatione diuina etiam congrua, & efficaci, quæ omnia optimè subsistunt sine physica prædeterminatione, cum tamen illa cum vera libertate componi non possit.

Octauò allegatur Ambrosius lib. 10. in Lucam, ad illa verba capite 22. Conuersus Dominus respexit Petrum, ubi sub verbo respexit, intelligit internum gratiæ auxilium, & ait, quando Dominus non respexit Petrum, illum non fleuisse. Respexit, (inquit,) Iesus, & ille amarissime fleuit. Vnde generaliter refert, quos Iesus respicit, plorant delictum. quam expositionem, & doctrinam probat Augustinus libro de Grat. Christi, capite 45. Sed quidquid sit de expositione, de qua dixi alibi, doctrina est verissima, non propter physicam prædeterminationem, sed propter congruam, & efficacem internam excitationem, quam & verba Scripturæ, & ipsius Ambrosij, & aliorum Patrum indicant. Ait enim Lucas, Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini. Primus ergo effectus illius respectus fuit memoriam Petri excitare. Vnde etiam Ambrosius dixit. Respiciat ut recorderis, & fatearis errorem. & Augustinus libro tertio de consensu Euangelistarum capite sexto. Mihi, (inquit,) videtur illa respectio diuinitus facta, ut ei veniret in mentem quædam negasset, & quid ei Dominus prædixisset, atque ita misericorditer Domino respiciente, paeniteret eum, & salubriter flecter. Et libro de Gratia Christi, capite quadregesimo quinto de eadem respectione loquens, Dominus, (inquit,) latenter subleuit, cor tergit, memoriam reuocauit, interiori sua gratia viuificauit Petrum. Et similia habet Leo Papa sermone tertio de Passione, dicens, In illum conuersa est veritatis inspectio, ubi erat cordis facienda correctio, quasi illi quadam vox Domini insonaret, ac diceret, Quid habes Petre, &c. & sermone nono Diuino, (inquit,) vidit inuitum, & paucis animam mox, ut in spexit, erexit, & in fletus paenitudinis incitauit. Hic ergo est modus quo Christi respectio cor conuertit, illud excitando, & illuminando non physice prædeterminando.

Neque plus probant alia verba quæ ex eodem Ambrosio allegantur libro de Fuga sæculi, capite 1. Non est in potestate nostra cor nostrum, &c. & infra, Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper ascendit? sed hoc sine auxilio qui fieri potest nullo profecto modo. Duobus enim modis intelligi potest non esse in potestate nostra cor nostrum, scilicet, vel quantum ad consensum, vel quantum ad excitationem aliquam, vel tactum cordis per antecedentem cogitationem. Ambrosius ergo non loquitur priori modo, nec loqui potuit, cum absolute loquendo nec repugnet. Loquitur ergo in posteriori sensu, ut ex verbis eius euidenter constat. Dixit enim, Frequenter in reprobis terrenarum illecebra voluptatum, & vanitas

tum offusio mentem occupat, ut quod evitare studeas, mente voluas, quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Et postea subdit. Non enim in potestate nostra est cor nostrum. Et adiungit. Sed nostra cogitationes, quae improuiso offusae mentem animumque confundunt, atque aliud trahunt quam tu proposueris, ad secularia reuocant. &c. Ad superandas autem, & vincendas has cogitationes requirit Ambrosius speciale gratiae auxilium, non physicam praedeterminationem. Vnde Augustinus lib. de bono perseueran. cap. 8. & lib. 2. contra Iulianum, cap. 8. & lib. 4. contra duas epistol. Pelagianorum, cap. 11. tractans haec verbis Ambrosij nihil aliud ex illis colligit, nisi necessitatem diuini auxilij, & illud inchoandum esse per sanctam cogitationem, quae in nostra potestate non est, ac demum dicta verba explicat per illa Pauli, Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

August.

e. Cor. 3.

14.
Obicitur.
Hieronymus.

Tandem obicitur nobis Hieronymus, primò in Epistola ad Cresiphontem, ubi postquam recitatur argumentum Pelagij, quod si voluntas indigeret diuino auxilio, non esset libera, illud improbat tanquam blasphemum, & impium. Nam per arbitrij libertatem, (inquit,) asserunt se nequaquam vltra necessarium habere Deum; & ignorant Scripturam: Quid habes quod non accepisti, &c. Verum tamen argumentum ab hoc testimonio sumptum eundem habet defectum quem saepe notauimus, quia ex necessitate auxilij diuini infert necessitatem physicae praedeterminationis, quae illatio nullius momenti est, ut per se constat. Sicut è contrario peccabat Pelagius ex necessitate diuini auxilij inferendo tolli libertatem quae nulla illatio est, quia auxilium excitans, & adiuvans, seu concomitans, non repugnat libertati, alias etiam dependentia quoad generalem concursum libertati repugnet, quod sensisse Pelagium in ultimo Prolegomeno diximus; & valde probabile est, illud etiam ab Hieronymo impugnari, seculum autem esset si argumentum Pelagij fieret contra solam physicam praedeterminationem: nam si illa esset semper necessaria, frustra diceretur voluntas libera, cum nunquam posset se determinare. Quia verò contentio Pelagij cum Catholicis non erat de praedeterminatione physica, ideo frivolum erat argumentum Pelagij, cui etiam Hieronymus tractando verba Pauli, Non est volentis, neque currentis, &c. occurrit, dicens: Velle, & currere meum est, (Vtique per meam determinationem,) sed hoc ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum.

Rom. 9.

15.
Hieronymus.

Et eundem sensum habent alia verba Hieronymi ad Ephes. 2. quae non melius pro physica praedeterminatione afferuntur, cum vel illi nullo modo faueant, vel potius repugnent: nam circa illa verba, Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, addit Hieronymus, Haec ipsa fides non est ex vobis, sed ex eo, qui vocauit vos, ubi aperte significat illud esse dictum à Paulo ratione vocationis, non ratione physicae praedeterminationis. Et in eodem sensu subiungit. Addidit itaque, & dixit, fidem quoque ipsam non nostra voluntatis, sed Dei munus, quod ipsemet exponit, dicens, Non quod homini liberum tollatur arbitrium, & secundum illud Apostoli ad Romanos, non sit volentis, nec currentis, sed misericordiae Dei quod ipsa arbitrij libertas Deum habet auctorem, & ad illius beneficium cuncta referantur, cum etiam bonum nos velle ipse permiserit. ubi maxime pondeto verbum permiserit, directe enim opponitur verbo praedeterminandi, & usurpatum est ab Hieronymo in generali significatione explicando nobis quomodo diuina gratia praeueniens per vocationem, (ratione cuius dictum est illud, non est volentis, neque currentis, & illud hoc non ex vobis,) voluntatem non determinet, sed finat operari bonum, si velit. Denique similia sunt verba eiusdem Hieronymi, in illa verba Hieremiae 24. Dabo eis cor ut sciant

me. quae comparat cum illis Pauli, Deus est qui operatur in nobis velle, & vtrinque doceri dicit, quod non solum opera, sed etiam voluntas nostra Dei vultu auxilio, & capite 26. circa principium. In nostra quidem potestate positum est facere quid, & non facere, nunc duntaxat, ut quicquid boni operis volumus, ad dignitatem referamus, qui iuxta Apostolum dedit nobis velle, & perficere.

CAPVT XLVI.

Augustinum in vocatione congrua sine physica praedeterminatione efficacem praeuenientem gratiam consiuisse.

TRia in hoc titulo proponimus. Primò enim dicimus Augustinum posuisse gratiam efficacem in quadam vocatione, & hoc probauimus supra cap. 5. Secundo affirmamus illam vocationem, quae efficax esse dicitur, talem dici, & esse, quia intelligibiliter consensum obtinebit, idque habere ex congruitate quadam ad eum cui datur, quam congruitatem praesciuit Deus, & obseruauit, ut illam daret, & cum illa non solum potestatem, sed etiam velle homini donaret. Tertio negamus posuisse Augustinum efficacitatem vocationis in aliquo auxilio praedeterminante ipsi vocationi adiuncto, & ab omni auxilio excitante distincto. Et haec duo probanda à nobis sunt, & quae praecipua loca, ex quibus sumuntur, eadem ferè sunt cum illis, quibus primum punctum probauimus, idem breuiter in singulis designabimus verba, quae ad rem praesentem faciant, & illis alia testimonia, si occurrerint, adiungemus.

Primò igitur Augustinus explicat efficaciam vocationis per congruitatem ad hominem, qui vocatur in lib. 1. ad Simplician. q. 2. ubi postquam distinxit vocationem efficacem, quam vocat efficax, à vocatione bona voluntatis ab inefficaci, sic concludit. Igitur non volentis, neque currentis, sed misericordiae Dei qui hoc modo vocauit quomodo aptum erat ei, qui factus sunt vocationem. Vnde subdit inferius. Illi electi qui congruenter vocati. Et infra, Non volentis, &c. qui etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur, quoniam vocat, quomodo eis aptum est ut sequantur. Et infra, Cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo sit ei congruent, ut vocationem non respuat.

Ad hoc testimonium quidam ex defensoribus alterius sententiae, cum non posset negare in illo esse sermonem de congrua vocatione, ausus est dicere, in omnibus quae ibi tractat Augustinus de vocatione congrua, non loqui ex propria sententia veritatem definiendo, sed solum disputando, & inquirendo vsque ad illa verba, & tamen intueamur superiora, & inde nostram quantum ipse Dominus dederit, sententiam proferamus. Nam interrogando, & respondendo, ac replicando processerat, vsque ad illa verba, quae praeseferant initium definitionis sententiae, vnde, & in margine notatur, conclusio questio. sed hoc audiendum non est. Primò, quia dictum idem Augustinus lib. de praedestinat. Sator. cap. 4. per lib. 2. de retract. cap. 1. recognoscens, & allegans quidam quæstionem illam, simpliciter illam approbat, & laboratum, inquit, in ea esse pro libero arbitrio, & vicisse gratiam Dei. Secundo, quia ille modus interrogandi, quod Augustinus vult, non est in iudicium dubitantis, quin ex alterius sententia procedentis: nam ille est ordinarius modus procedendi.